

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1123

Auteur(s) : Innocent IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1244, 16 mai

Lieu d'émission : Latran

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Innocent IV accorde une indulgence de quarante jours à tous ceux qui aideront à l'œuvre de réédification de l'église cathédrale.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCXXXIII, t. 2, p. 54-55.

Texte établi d'après a

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum praelatis, conventibus, ac aliis clericis universis per Baiocensem civitatem et dyocesim constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Si filii, quos matribus natura humana produxit, seipsis obsequiales exhibent ut ab eis mereantur jugiter benedici, tanto forcius benedictionis filii spirituali matri, a qua spiritualia dona recipiunt, tenentur obsequi ejusque onera congruis subsidiis relevare, quanto spiritualia sunt corporalibus seu naturalibus digniora. Cum igitur Baiocensis ecclesia mater vestra, prout ex insinuatione venerabilis fratris nostri episcopi et dilectorum filiorum decani et capituli Baiocensis accepimus, jam dudum reaedificari funditus coeperit opere non modicum sumptuoso, nec ad confirmationem tanti operis ipsorum sufficiant facultates, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente in remissionem vobis peccaminum injungentes quatinus, considerato prudenter quod vestra quodam modo interest ut perficiatur eadem ecclesia, tale ad id curetis de vestris facultatibus auxilium exhibere quod ipsa, vestro mediante subsidio feliciter confirmata, vobis provide tanquam benigna mater gratis atque devotis filiis respondere in vestris oportunitatibus grata vicissitudine teneatur, vosque, per hæc et alia bona quæ Domino inspirante feceritis, ad æternæ possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, ac ea, quam ipse nobis concessit, auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui præfato operi manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitencia misericorditer relaxamus. Datum Laterani, septimo decimo kalendas junii, pontificatus nostri anno primo.